



1. Carpzov, Christian : De legitima, quae vocatur ab  
Hottomano quarta legitimaria. 1631.
2. Crull, Cornelius : Ad pacificationem religiosam Augus-  
tanam de anno 1555. 1631.
3. Carpzov, Konrad : De tribus hereditatem adveniendi modis  
et inventarii confectione. 1631
4. Carpzov, Konrad : De tribus hereditatem adveniendi modis  
et inventarii confectione 1631.
5. Carpzov, Konrad : De pignoratibus et hypothecis 1631.
6. Grosse, Henning : De jurisdictione. 1631.
7. Grosse, Henning : De judiciis in genere 1631.
8. Grosse, Henning : De translatione Imperii Rom.  
a Graecis ad Germanos, Modus Imperii status,  
et ejus jurisdictione. 1631.
9. Grosse, Henning : De jurisdictione. 1631.
10. Krenbergk, Christian : De juribus ac rebus bellicis. 1631.
11. Reutler, Gottfried : De instrumentis, sive litterariis  
documentis, 1631.
12. Sperling, Johann : Decas axiomaticorum physicorum.  
1631.
13. Carpzov, Christian : De mora. 1632.
14. Carpzov, August : De legatis et fideicommissis 1632.



15. Grosse, Henning : De donationibus. 1631.
16. Grosse Henning : De testamentis. 1632.
17. Peltkuper, Joh. Georg : Artis medicae studiosio, 1632.
18. Seyffardt, Konrad : De jure collectandi, 1632.
19. Grosse, Henning : De indebiti solutione. 1633.
20. Grosse, Henning : De mutuo. 1633.
21. Olearius, Gottfr. : De justitia et jure 1633.
22. Strauch, Johann : De testamentis. 1634.
23. Lappzer, Conrad : De pactis successivis 1635.
24. Grosse, Henning : De effectis sine pueris  
injuriarum. 1635.
25. Grosse, Henning : De tutela et cura. 1635.
26. Grosse, Henning : De crimine laesae maje-  
statis divinae et humanae. 1635.
27. Praetorius, Friedrich : De donationibus 1635.
28. Praetorius, Friedrich : De furtis 1635.
29. Strauch, Johann : De foro competente 1635.
30. Strauch, Johann : De jure protimiscus seu  
retractus. 1635.
31. Taubmann, Christian : Disputatio I... ad proem.  
tit. de justitia et jure. 1635.
32. Grosse, Henning : De commodato, 1636.



33. Nottrigel, Christopher: De triplicium, circa orbium corporumq, celestium dispositionem seu systema mundi, Hypothesium, nempe Ptolemaicarum, Copernicarum et Tychoniarum comparatione et selectu. 1636.
34. Strauch, Joh.: De concursu ac praedatione credituum. 1636.
35. From, Henning: De beneficio cessionis bonorum. 1637.
36. From, Henning: De in integrum restitutione. 1637.
37. Nottrigel, Christopher: De calendario Gregoriano. 1637.
38. Remmer, Ferencius: De proci secundae instantiae et quidem De appellationibus. 1637.
39. Remmer, Ferencius: De sententia. 1637.
40. Schneider, Michael: Oratio in obitum ---  
Johannis Gerhardi. . . . . publicè recitata in celeberrima Academia Wittenbergensi. 1637.
41. Strauch, Johannes: De tertio interveniente. 1637.
42. Jambman, Christian: De testamentis. 1637.



107

*[Faint, illegible handwriting in cursive script, likely a list or index of names and titles.]*





107

32

~~802~~

26

M

1630

1

DECAS  
QUÆSTIONUM JURIS.  
DE  
JURE CON-  
SUE TUDINARIO,  
QVAM

D. O. M. A.

*Permissa & Autoritate Amplissimi Jctorum Ordinis  
in Celeberrima Academia Witebergensi*

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI CARPZOVII

Coldicens. Misnic. J. U. Doctoris,

*Publicè Vendilandam & examinandam  
proponit*

ABRAHAMUS ZORN Hallensis  
Suevus.

*Ad diem 4. Decembris horis à 7. matutinis in  
Auditorio Jctorum.*

WITEBERGÆ

*Typis Jobi VVilhelmi Fincelij,*  
ANNO 1630.

*Cystr. XVII. N. 13.*



DECAS  
QUESTIONUM JURIS  
DE  
JURE CON-  
SUECUDINARIO  
QVAM  
D. O. M. A.

Præfatus & Autoritate Johannis Victoris Othman  
in obsequium Academiae Lipsigensis  
SUB PREESIDIO  
CHRISTIANI CARPZOVII  
Collegii Medicæ J. U. Doctoris  
Præfati Facultatis & Examinandus  
PAG. 27  
JANUARIUS JORN HALLERUS  
SLEVES  
ad hunc Catalogum hinc & inde in  
Lipsigensi Curia  
WITBERGA  
Typis Joh. W. Schmalz Præcipis  
ANNO 1700







IN NOMINE DOMINI NOSTRI  
JESU CHRISTI

QUÆSTIO I.

*An Consuetudo Legem scriptam ab-  
rogare possit?*

**I**ustum Jus nostrum ab Imperatore  
Justiniano dividitur in scriptum & non  
scriptum §. 3. *Inst. de J. N. G. & C.* ex quo nõ  
immeritò ab Interpretibus Juris affirma-  
tur, Jus non scriptum, sive consuetudinem esse jus,  
quia inter species juris connumeratur, ac proinde  
vera & perspicua decisio est, quod possit etiam Le-  
gem scriptam abrogare, quicquid enim de genere di-  
citur, illud etiam verum est de qualibet specie sub ge-  
nere illo contēta, atqui de toto jure affirmatur, quod  
posterior Lex abrogare possit priorem *l. ult. ff. d. Con-  
stit. Princ. E.* Deinde Justinianus in §. *sed naturalia II.*  
*Inst. de J. N. G. & C.* Item Ictus Julianus in *l. 32. ff. de L. L.*  
verbis expressis hoc affirmant, inquentes, quod mu-  
tentur & abrogentur Leges tacitò populi consensu,  
per quē consensū tacitum, nihil aliud quàm consue-  
tudinē, sive jus consuetudinarium intelligendū esse,  
nemo negabit. Vehementer quidē obstare videtur,

A 2

*l. 2. C.*



*l. 2. C. quæ sit long. Consuet. pro cuius Legis. explicatione:* permultos Authores allegat *Harprechtus ad §. sine scripto 9. Just. d. j. N. G. & C. n. 50.* jubens lectorem de vera & reali solutione cogitare, se enim nihil boni ad præsens in promptu habere; Sed quando mentem legis inspicimus, fundata responsio satis occurit.

## QUÆSTIO II.

*An Consuetudo debeat esse rationabilis?*

**E**odem fundamento probatur etiam, quòd semper rationabilitas ad Consuetudinem requiratur, de omnibus enim Legibus asseritur, quod, si ratione destituantur, non sint Leges dicendæ, *l. quod verò 14. ff. d. LL. Nov. 134. c. 1. vers. malè enim & c.* proinde etiam de consuetudine, quo argumento utitur *Treut. vol. 1. disp. 1. thes. 4. lit. B.* asserens, requiri: daß es ein gute oder vernünftige gewonheit seye; Imò verbis expressis hoc ad consuetudinem accommodat *J. C. tus Celsus in l. 39. ff. de LL.* Sic multæ irrationabiles consuetudines hodie reprobantur & neutiquam valent. E. G. Consuetudo illa, qua de mortuorum corpora arrestantur *l. ne corpora 38. & l. 43. ff. d. Religios. & sumpt. fun. Gail. in tract. de Arre. 1. Imper. c. 11. n. 28. & Wesenb. in paratit. ff. d. religios. & sumpt. fun.* item consuetudo illa, quæ parentibus aufert legitimam, de qua *Myns. cent. 6. obs. 41. 43. & 44. Gail. lib. 2. obs. 122. n. 11.* nec non illa consuetudo Poloniæ, pœnam homicidii pecunia redimere permittens, de qua *Treut. loco alleg. ibiq; in suis notis. Bachov.*



804

Bachov. in verb. ut consuetudo &c. Et multæ aliæ consue-  
tudes, rationibus contrariæ, reijciuntur ab Imp.  
Carolo V. in ordinat. Criminal. artic. 218. Apparet  
igitur immotum esse consuetudinis requisitum, ra-  
tionabilitatem, & quanquam multi Dd. & imprimis  
Wesemb. in parat. ff. d. LL. n. 9. affirmet: principii ra-  
tionabilis, non esse magnam habendam rationem,  
attamen observatis gradibus, ut loquitur Bachov. in  
not. ad Treutl. irrationabilitatis, facilis erit responsio,  
& firma nostra sententia, de qua ulterius in disputa-  
tione.

## QUÆSTIO. II.

*An duo actus ad consuetudinem  
sufficiant?*

Interpretes quidam Institutionum ad §. sine scripto  
9. Inst. de J. N. G. & C. ut Vultei. n. 8. Myns. n. 6. & Melchi.  
Kling n. 4. item Gail. lib. 2. obs. 31. n. 7. hac in opinione  
versantur, quòd duobus actibus induci possit consue-  
tudo, sed hæc opinio juris textibus contrariatur, dicit  
enim Imp. Alexander in l. 1. C. quæ sit long. Consuet. item  
in l. 3. C. de edific. privat. quòd in consuetudine requi-  
ratur, ut frequenter ita fuerit observatum, jam quod  
uno vel altero actu factum est, frequenter esse fa-  
ctum, ex nulla lege, sive ratione legis probari poterit;  
proinde communi Dd. opinione concludendum es-  
se judicamus, non semper ex duobus actibus consue-  
tudinem probari, sed hoc iudicis arbitrio relinquen-

A. 3;

duma



dum esse, quemadmodum ostendit fufius *Jacob. Menoch. de arb. jud. quest. lib. 2. cent. 2. cas. 81. n. 4. Arum. Exercitat. Justin. 1. thes. 20. Mascard. de probat. volum. 1. conclus. 424. n. 15. § 18.*

#### QUÆSTIO IV.

*An ad Consuetudinem introducendam actus judiciales requirantur?*

**V**Lterius à quibusdam in dubiū vocatur, an etiam judiciales actus ad introducendam consuetudinem requirantur, ubi verior adparet illorum opinio, qui afferunt, nullam distinctionem actuum, sive sint illi judiciales, sive extrajudiciales, observandam esse, generaliter enim requiritur tacitus consensus, *l. de quib. 32. §. 1. §. l. sed § 35 ff. d. LL. in iis v. quæ solo consensu inducuntur, Judicis præsentia nō est opus l. sive apud 28. C. d. Transact. Deinde verbis expressis J. C. Callistratus in l. nam Imperator 38. ff. d. LL. consuetudinem separat à rebus judicatis, & hanc veriore opinionem prolixè defendunt *Donell. lib. 1. comm. c. 10. Ad §. 9. Inst. d. I. N. G. & C. Angelus. n. 10. Schneidew. n. 6. Heig. n. 12. Vultei. n. 8. Cujac. lib. 2. obser. 1. Michael Grass. in commun. opin. lib. 2. c. 1. q. 10. Speckhan. cent. 1. q. 73. n. 29. & observantiam Imperialem demonstrat Gail. lib. 2. observ. 31. n. 8.**

QUÆ-



805

QUÆSTIO V.

*An ad introducendam consuetudinem in  
jure nostro Civili sit certum tempus  
determinatum.*

**A**ffirmant hanc quæstionem permulti post gloss.  
*in l. de quibus 32. voc. in veterata ff. d. LL. ut Donell.*  
*1. comm. c. 10. Accurs. Bartol. Jason & Zafius in d. l. de*  
*quib. 32. §. 1. ff. d. LL. Myns. c. 6. obs. 41. & alii, qui unani-*  
*miter autumant, quòd decenium ad introducen-*  
*dam consuetudinem requiratur, sed in veritate nul-*  
*lo juris textu poterit probari, quapropter, cum nul-*  
*la Lege Civili definitum sit, meritò judicis arbitrio*  
*relinquitur arg. l. 1. §. ult. ff. de Jure deb. quam opinio-*  
*nem defendit Menoch. l. 2. de arb. judic. qq. cas. 83, n. 6. & 7.*  
*Secus autem est de Jure Saxon. per textum in Land-*  
*recht lib. 1. art. 29. & artic. 38. in quo dicitur, quòd ad in-*  
*troducendam consuetudinem requirantur 31. anni.*  
*6. hebdomadæ & 3. dies, sicuti videre licet ex Zang. in*  
*tr. de exception. p. 3. c. 20. n. 183.*

QUÆSTIO VI.

*An Jus Canonicum in Imperio Romano sit  
jus consuetudinarium, ?*

**D**E Juris Canonici autoritate constat, quòd planè  
in Imperio Romano nullam, nisi consuetudina-

FII



ius juris, auctoritatem habeat, per omnia enim & in omnibus ipsi definitio juris consuetudinarii competit, non enim utimur jure Pontificio in Imperio Romano, ut Pontificio, & tanquam à Papa profecto; sed tanquam jure nostro, ut quod nostrum factum sit approbatione Principum nostrorum, proinde sic argumentamur; Quodcunq; Jus ex sola approbatione & tacito consensu proficiscitur, illud est jus Consuetudinarium, Atqui Jus Canon, ex sola approbatione proficiscitur. E.

Majore est juris Consuetudinarii definitio ex §. 9. *Inst. de J. N. G. & C.* Minoris evidentia satis apparet ex experientia & principio juris, quod nimirum nullus possit Leges cōdere, nisi ille, qui habeat potestatem, jam legimus quidem in §. 6. *Inst. de J. N. G. & C.* quod populus Romanus omne Imperium suum & potestatem in Principem, hoc est Imperatorē transtulerit, sed ex nullo verbulo textus alicujus poterit probari, quod in Pontificem Romanum transtulerit, proinde in effato Magni Jcti Eberhardi à Weihe (*quod habet in oratione; An Jus Canonicum in foro fidelium doceri & observari possit.*) persistendum esse judicamus, dicentis; Cū tacito Imperatorum, Electorum, Principum & Ordinum consensu sint libri Canonici recepti & approbati, illos rescriptis Jurisperitorum Romanorum conjungendos & preferendos esse existimo. Et cū occurrant multa impia, superstiosa legenti, nonnulla, quæ palam jubent colere idola, præcipiunt invocationem mortuorum & statuarum, artolatiam, ac onera, quæ sine peccato non



non possunt sustineri; ista & similia sunt legenda, non ut teneantur, sed repudientur, præclarum enim illud & planè divinum; Omnia probate, quod bonum est, tenete. *Hec ille.* Nequè distinctionem illam accipiendam existimamus, quâ distinguere quidam volunt, inter res Ecclesiasticas & seculares, quòd Pontifex Romanus in Ecclesiasticis, sed non in secularibus leges condendi potestatem habeat. Hoc enim quidem proferunt, sed non probant, imò contra jus divinum asserere videntur illi, qui dicunt in Imperio Papam habere potestatem in rebus Ecclesiasticis leges condendi, sic enim inquit Christus *Matth. 22, v. 22.* Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei. Jam quicumq; attribuit Papæ, quod debetur Cæsari, non dat Cæsari, quæ sunt Cæsaris, atqui illi qui dicunt Papam habere jurisdictionem in rebus Ecclesiasticis, dant Papæ, quæ sunt Cæsaris, E. Minoris probatio perspicua est, quæritur enim quo titulo, quo jure Pontifex habeat hanc potestatem? Sanè nullo, omnem enim potestatem in Imperio Pontifici negamus, quia nihil commune habet cum Imperio Romano, adeòq; & Imperatori Comitia convocare & in iis cum statibus Imperii, Pontifice in salutato, de bono publico concludere & deliberare licet.

*Thom. Mich. de jurisdict. conclus. 2. & 3. David*

*Par. intr. de Jure Regio*

*Et c.*

Estimemus quæres Jure Saxonici Interpretes sarr-  
 QUÆ-  
 nico





QUÆSTIO VII.  
*An Jus Saxonicum sit Jus Consue-  
tudinarium ?*

Quia Jus Saxonicum initiò moribus introductum  
postea per virum privatæ authoritatis collectum  
ac tandem à Carolo Magno, uti *Glossator speculi Saxo-  
nici Landrecht lib. 3. art. 82.* testatur, confirmatum &  
approbatum est, meritò concluditur, quod sit Jus  
Consuetudinarium; Competit enim ipsi definitio  
Juris Consuetudinarii, sicuti in præcedentis quæstio-  
nis resolutione fuit ostensum, & prolixè de hujus  
origine scripsit *Matth. Coler. in Orat. de Orig. Jur. Sax.  
& Heig. p. 1. q. 8. per tot.* Sicque communiter ab Inter-  
pretibus asseritur: quod inter Jura Consuetudinaria  
in Imperio Romano-Germanico hodie Principem  
facilè locum obtineant Consuetudines Juris Saxo-  
nici, Eberhard. Speckhan *in Synopt. Exeges. Jur. Cesar.  
pag. 1.* Ac proinde fallere eos ait *Hartm. Pistor. lib. 1. q.  
16. num. 11.* qui Juris Saxonici cognitionem magis ex  
verbis quàm ex usu discere autumant. Multa namq;  
usu, (dicit ille) esse introducta contra verba Juris  
Saxonici, & è contra...

QUÆSTIO VIII.  
*An Juris Saxonici observantia ab allegan-  
tibus sit probanda?*

Rectissimè plures Juris Saxonici Interpretes statu-  
unt, illum, qui textum aliquem ex Jure Saxoni-  
nico



807

nico pro se allegat, si ille non esset practicabilis, probare debere, illum esse usu receptum & approbatum. Andr. Knich. *in Comment. suo de Saxon. non provoc. jur. cap. 3. n. 19.* asserit quidem contrarium, eo argumento, quod Lex in dubio dicatur usu recepta per trad. à Natt. *Consil. 340. n. 11.* & Roland. à valle *Consil. 90. num. 53. vol. 1.* Sed uti dictum, sententia hæc nobis non arridet, legem enim vel statutum usu recepta esse facti sunt, quæ non præsumuntur, sed probari debent *l. in bello. §. facti. ff. de captiv. & postlim. revers.* nec ad rem facit, quod Andr. Knich. *loc. allegat. ait;* Legem in dubio, dici usu receptam, quia hoc intelligendum, dato scilicet initio observationis: Si enim semel cepta observari, præsumitur adhuc observari, atq; ita in viridi esse observantia: Cæterum hinc non efficitur, quod ab initio præsumi debeat recepta & observata, ita eleganter respondet Jacob Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præf. 2. n. 3. & 4. ibi sed non hinc fit, quod ab initio præsumi debeat & c.* Imò ante probatam observationem Jus Saxonicum, tanquam jus consuetudinarium & approbatum non habet & meretur nomen legis, quia ut sit Lex, requiritur observantia sive actus, uti supra fuit ostensum, quod actus ad Consuetudinem introducendam requirantur, & in hac nostra sententia multi sunt Juris Saxon. Interpp.

ut Matth. Coler. *De process. executiv.*

*in præf. Hartm. Pist. lib. 1.*

*q. 16. & c.*

B 2

QUÆ



QUÆSTIO IX.

*An Jus Feudale pertineat ad Jus scriptum, an verò ad Jus non scriptum?*

Supra in quaestione I. ex §. 1. *Inst. d. I. N. G. & C.* ostensum fuit jus esse duplex, scriptum & non scriptum, Quaestio igitur est, ad quam speciem Juris, jus Feudale sit referendum, *Rittersh. in partit. feud. lib. 1. cap. 1. q. 8.* ad Jus scriptum pertinere putat; sed verior videtur illorum opinio, qui defendunt, Jus Feudale ad Jus non scriptum pertinere; primò enim Juri Feudali competit definitio Juris non scripti ex §. 9. *Inst. d. J. N. G. & C.* Deinde Consuetudines appellantur libri feudorum *in rubrica hujus Juris*. nec quicquam facit *Rittershusii* responsio; dicentis: à potiori fieri ibi denominationem; eò enim ipsò quod potior pars Juris Feudalis contineat consuetudines, (quæ in Imperio Romano juris auctoritatem habent, ex tacita approbatione Imperatoris *Friderici II.* qui secundum illas in judiciis judicari passus est,) nostra sententia fundatur, pauca enim constitutiones Juri Feudali insertæ, non efficiunt ut potior pars Juris Feudalis ad Jus scriptum sit referendum. Neq; exinde quòd Jura Feudalia hodie typis exscripta sunt, consuetudines esse desierunt, quia hoc duntaxat memoriæ & observantiæ melioris causa factum est; quo ipso Consuetudinis natura non immutatur,

*l. contra*



878

*l. contrahitur ff. de pignor.* Et non sola scriptura, sed  
authoritas publica, itemq; animus potestasq; scri-  
bentis ex Consuetudine Legem scriptam facit *l. ult. C.  
de LL.* Et hanc nostram opinionem *Comman. lib. 1. Com-  
ment. Jur. c. 10. Clar. §. feudum. q. 3. Schrader. de feud.  
part. 1. q. 1. n. 6.* & multi alii defendunt.

QUÆSTIO X.

*An Consuetudo debeat probari?*

Consuetudinem esse juris ex §. 9. *Inst. de jur. nat.  
gent. & civil.* & ex *l. de quibus 32. ff. de legib.* satis appa-  
ret. de quo *Gail. 1. obs. 36. nu. 13. Rauckb part. 1. qu. 36.* jura  
verò non probantur, sed allegantur, uti tritum IC-  
torum brocardicū, est, quod habet Vmmius in *pro-  
cess. disp. 15. thes. 3. num. 5.* proinde concludendum vide-  
tur, neq; Consuetudinem esse probandam, Sed veri-  
or est illa Dd. sententia, quod omninò Consuetudo  
debeat probari, in se enim Consuetudo considerata  
est quidem juris, sed an hic an illic ea sit consuetudo,  
est quæstio facti: itemq; actus, ex quibus inducitur  
Consuetudo, sunt facti *l. de quibus 32. ff. de legib.* Et i-  
deò hi actus probari, debent: sive debet probari, hic  
vel illic eam consuetudinem esse, quæ allegatur *Myr-  
sing. Respon. 13. n. 6.* & hoc est quod asseritur in *cap. 1. Ex-  
tr. de Consuet.* Consuetudinem esse facti. *Ernest.*

*Cothm. Respon. 13. num. 74. & seqq.*

*Volum. 1.*

B 3

CO



COROLLARIA.

1.  
COnsuetudo contraria juri commu-  
ni non extenditur ex identitate ratio-  
nis. *Alex. Consil. 116. Vol. 1.*

2.  
Consuetudo, quod quis cogatur ven-  
dere, valet. *Bart. in l. venditor 13. §. si con-  
stat. ff. comm. pr. ad.*

3.  
Consuetudo differt à Stylo. *Trentl. Vol.  
1. disp. 1. thes. 9. lit. a.*


4.  
Qui secundum malam consuetudi-  
nem privatā agit non excusatur à pœna.

5.  
An populus non liber, vel an pars ci-  
vitatatis consuetudines introducere pos-  
sit? sæpius à Dd. disceptatur, & pro & con-  
tra disputatur, nos ejusmodi quæstiones  
Domi-



509  
Domitianas & nullius momenti judica-  
mus, non enim origo, sed usus consuetu-  
dinis inspiciendus.

SOLI DEO GLORIA.



*Literatissimo Domino Respondenti  
Amico & conterraneo suo  
Charissimo.*

**C**onsuetudo bonæ est, privo quæ lecta labore,  
Promere ea, alternâ dis- q; - putare vice.

*Hanc sequeris strenuè, de Consuetudine. ZORNI  
Dum properas vires exeruisse tuas.*

*Huic gessisse bono Morem consuescito porro  
Mori, ne quicquam sit tibi in bocce moræ.*

*Sic quod jus, quod fas, quod mos decernere cunctis  
Assolet, bocce dabit jus tibi fasq; decus.*

Hicce  
Gratulabatur l. mq;.

*Johannes Christophorus Hebel  
Hœnharto- Hallensis  
Suevus.*



Domitiana & nullus momenti iudica-  
mus non enim ergo sedulus conuen-  
tionalis.

# OLI DEO GLORIA.

.....

Literarissimo Domino Respondens  
Amico & conterraneo suo  
Charissimo.

Conuenio bonae et primo quae laudat  
Promeretur aliter dicitur putare vice  
Hanc quae situr de Coniunctio. X. ORNI  
Dum properat vix exiisse tam.  
Hic gessit bonum Mortem confectio porro  
Mortis ne quicumque tibi in hoc m. o. r.  
Sic quod in quibus quod nos deceret eundem  
Vobis in ecclesia in tibi facta dicitur.

Hic  
Gratulabatur. m. p.

Johannes Christophorus  
Herbario - Hallensis  
Suerus.

17

P

G

D

J. U.

rii E

Infer

Sp

o o

Typis





ULB Halle

3


004 961 196




W117











B.I.G.

Farbkarte #13

107

32

~~802~~ 21

25

M  
1630

1

DECAS  
QUÆSTIONUM JURIS.  
DE  
JURE CON-  
SUETUDINARIO,  
QVAM  
D. O. M. A.

*Permissu & Autoritate Amplissimi Jctorum Ordinis  
in Celeberrima Academia Witebergensi*  
SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI CARPZOVII  
Coldicens. Misnic. J. U. Doctoris,  
*Publicè Vendilandam & examinandam  
proponit*

ABRAHAMUS ZORN Hallensis  
Suevus.

*Ad diem 4. Decembris horis à 7. matutinis in  
Auditorio Jctorum.*

WITEBERGÆ

Typis Jobi VVilhelmi Fincelij,  
ANNO 1630.

*Cista. XVII. No. 13.*

